



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

Q. D. B. V.
Ἀπαράντων τῆς δόξης σέφανον;
five

14

CORONAM GLORIÆ IMMAR- CESCIBLEM,

ex l. Pet. V. v. 4.

Favente Divini Numinis Clementia,
SUB PRÆSIDIO

V I R I

Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, atque Excellentissimi,

DN. JOH. DEUSTCHMANNI,

SS. Theol. Doct. Consummatissimi, ejusdemque Prof. P.

Prim. inque toto Orbe docto undiqvaq; famigeratissimi, hujusq;

Facult. Senioris Venerandi, ac Templi, quod ad Arcem est,

Præpositi dignissimi, Alumnorum Electoralium Ephori

Gravissimi, deque Univerſa Ecclesia Christi longè

meritissimi, ut & p. t. DECANI Ord. Theol.

Spectabilissimi,

Domini, Patroni, Præceptoris, ac Studiorum Suorum Promotoris,

filiæ, quò par est, observantia & amoris cultu, ad cineres usque

Sanctissimè colendi, venerandi,

In Inclyta ad Albim Leucorea, ex Cathedra B. Lutheri,

proponet

M. GEORGIUS  **Brandenburgeri**

Cremnicio-Hung. SS. Theol. Cultor.

Anno ab reparata humani Generis Salute 1694. Die

Octobr.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Hakii

h. 10. 3912



ni

AFFLICTÆ ECCLESIAE CHRISTI,

quæ

CREMNICII
NEO-ZOLII

&

SCHEMNICII

colligitur

FIDELIBUS OECONOMIS,
STRENUISSIMIS MILITIBUS,

VIRIS

Plurimum Reverendis, Generosis,

Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, Reverendis,

Clarissimis & Spectatissimis

DN. DN. EVERGETIS MOE-
CENATIBUS,

ac studiorum meorum

PROMOTORIBUS

ut &

SINGULIS ejusdem ECCLESIAE MEMBRIS.

Sinceram orthodoxamq; Religionem PROFITENTIBUS.

Immensam DEI gratiam, perpetuam Spiritus S. assistentiam,

copiosam omnium tum corporis tum animæ bonorum affluentiam,

Heroicam in adversis perseverantiam, Immotã in fidelitate constan-

tiam, invictam sub vexillo Christi militiam, exoptatam denique in

fide victoriam *è supernis, à Patre luminum, à quo omnis donatio bona & om-*

ne perfectum descendit, (Jac. 1. v. 17.) ex intimis animi corporibusq;

viribus submissè voveo & precor.

Patroni

Patroni Maximi,

Quod *primitias* hasce *Academicas* Venerandis *VESTRIS* Nominibus consecratas esse jubeam, *debita mea*, eaq; *filialis* erga *VOS MOECENATES GRAVISSIMI*, me impulit *observantia*. Nec immeritò, *Dissertationem* hanc *Theologicam*, de *Corona Gloria vitæq; Futuræ VOBIS* offerre volui, siquidem fortitudinis heroicæ, atq; infractæ invictæq; *Constantiæ*, *Corona ea Immarcescibilis*, pretiosissima est *merces*. *Fidelium* hoc *cæleste diadema*, quod in his terris tanquam per velamenti cujusdam obscuritatem, vel ut *D. Pauli* verbis utar (*1. Cor. 13. v. 12.*) *per Speculum in enigmate* conspiciendum sistitur, in æterna *Gloriæ DEI* fruitione, omnes & singuli in vera fide ad extremum usq; vitæ halitum perseverantes, indubitato se adepturos fore, certò sibi ut persuadeant, necesse est. Omnibus enim hæc *Corona* parata est in coelis, quorum constans sub vexillo Christi militia, & inter medios furentium tumultus, invicta inconcussaq; semper manet. *Per antiquam illam Romanam Gens*, antiquæ Virtutis, splendidæq; Nobilitatis Illustrissimum exemplar, ut nos *historiæ* docent, non ignavorum, non trepidorum, non imbellium, sed *Strenuorum*, sed *Invictorum*, sed *Fortium* condecorârunt tempora fertis; Illorum certè & cœlestis illa corona tantum est, qui ex acerbo & duro certamine, (*quod, quodvis sincerum Christianum peccus in his terris cum Diabolo, Mundo & carne subire cogitur*) *Victores* in *cælestem* redeunt *Patriam*.

Ingratus certè in *VOS, PATRES PATRIÆ SVAVISSIMI*, fuisset, si cœlestem infucatæ Pietatis *VESTRÆ* Mercedem, pro ingenii mei viribus & tenuissima vivendi conditione non tantum

tum non meditando literis consignâsem, verum, & piæ virtutis **VE-**
STRÆ Nominibus consecrâsem. Hæc enim Pietatis non infi-
ma Lex: *Gratum debere esse erga Patriam, Patriæq; PATRES.*
Cui non, nisi *Spurius Patriæ Filius*, reluctari contendit. Accipite
igitur hos qualescunq; *Ingenii mei satus, Serenâ, quâ, Magnos de-*
cet Patronos eaq; benignissima fronte, qui dulcissimos **VESTROS**
Amplexus, filiali, quâ par est, pietate sanctè venerantur. Im-
perfecti sunt, ingenuè fateor, siquidem ærumnosus, & satis infelix
rerum mearum eos progenit status, non tamen verentur munifi-
cas **VESTRAS** exolcularè manûs, & in benignissimum **VE-**
STRUM prodire conspectum, eâ spe freti, tandem insigni **VE-**
STRA liberalitate, singulari beneficentiâ, atq; incredibili humani-
tate, ad summam perfectiõnem & maturitatem pervenire posse.
Cæterum hoc unicum **MECOENATES MAXIMI**, Vobis per-
suadeatis velim, me totum *Paterna VESTRÆ TUTELÆ, atq; PA-*
TROCINIO, studiis autem mea in arduo & molesto stadio, ad me-
tam tendentia, amplissimæ **VESTRÆ** Munificentia in æternum
sanctissimè devovissè, nec magis in votis habere, quam ut sim &
permaneam

VESTRARUM
PL. REV. GENER. CLARISS.
NEC NON NOBIL.
DN. DN.

Cliens humillimus

ac
Devotus apud DEUM Intercessor
RESPONDENS.

AD CLARISSIMUM ET PEXIMUM,
DN. M. GEORGIUM FRANCKFURTERUM,
DE CORONA FIDELIUM PASTORUM IMMAR-
CESSIBILI, publicè in CATHEDRA B. LU-
THERI disputantem.

Ecclēsia Militans, CLARISSIME DN. MAGISTER *Ami-
ce dilecte, Fidelium Pastorum* his in terris officina, sed in
cœlis reposita dicitur ipsis *Immarcesibilis Ecclesia Tri-
umphantis Corona*: magnus hic *servorum DEI labor*:
sed ibi maximus *filiorum DEI honor*! ardua dicitur Eorum in
mundo *militia*, sed *aurea* dicitur in cœlo *victoria*! Hic perpetuò
lacrymantur in cruce, sed indefinenter ibi *letantur in luce*! *Mise-
ria* portant hic *onera*, sed ibi vehementer exornat eos *Gloria Coro-
na*! Per *aspera* sic ducuntur ad *prospera*! *Tristis* est *terrarum Canti-
lena*, sed dulce creditur cœlorum *Epiphonema*! *Corona* fortes ani-
mos olim excitabat ad *stadium & studium* ad *certamen & ipsam mor-
tem*, ad *militiam & victoriam*: *Corona Ministrorum* itidem *Pastores* ex-
citat, & ad *vite Christianæ stadium*, & ad *doctrina Christi studium*, & ad
mundi Satanae certamen, & ad *ipsam mortem*, & ad *spiritualem mi-
litiam*, & ad *cœlestem gloriam*. Tu, CLARISSIME DN. MA-
GISTER, talia specularis & singulari præparatione conaris, *Mi-
litiam* modo *studiorum Academicam* sectaris, & tam *Theologiæ*,
quam *Philosophiæ mysteria* scrutaris: *Horum* metam quandan-
tenus attigisti, dum *lauream Magisterialem Ordinis Philosophici* con-
sensu non absq; *meritis* reportasti: tendas etiam ad illorum me-
tam, ut aliquando multos in *Ecclesia fidelis Pastoris* instar, facias
fructus. *Omen* ejus rei *bonum* est, quod *Immarcesibilis* Tibi placet
corona, quam singulari studio mecum hoc tempore meditaris.
Pergas hanc *laboriosam viam*, contendas ad *sacrorum laborum officinam*,
& Domino Tuo semper *fidelitatis præstes operam*! Videbit
hoc Dominus & per *Faciles optimosq; Patronos* de Te cogitabit, atq;
Gloria coronam in cœlis Tibi præparabit, & reservabit! FIAT!
*Scriptum Witteb. in Festo Reformationis Lutherane, Centesimo, Septua-
gesimo septimo Anno M DC XCIV.*

JOHANNES Deutschmann/ D.
PRÆSES.

Madrigal
An den Wohl-Edlen und Wohlgelehrten Herrn Respondenten,
M. Georg Franckfurter/
der heiligen Göttl. Schrift befließenen.

Was ist ein edles Tugend = Kind
Welches nur nach solchen Kronen trachtet/
Die nicht vergänglich sind /
Und dieses Kind als Staub und Roth verachtet.
Sein weises Haupt/
Hat kaum der Weisheit Kron empfangen/
So denckt es schon dieselbe zuerlangen
Die unverwelcklich heist.
Wolan ! Er laß den edlen Geist besiegen /
Was Glaub und Frömmigkeit zerbeist.
So wird der Ausspruch seyn :
Des Himmels Ehren = Kron
Soll Ihn in Ewigkeit vergnügen.

Abrahamus Henricus Deutschmann/
Philos. ac LL. AA. Magister ejusdemq;
Facult. Adjunctus.

Justitia Fidei meditaris quando coronam
Confertur Sophia jure corona Tibi.
Quam dulci faustam Patria, claræq; corona
Præstet, Amicorum, cœlitus alma Trias !

Auditori sedulo, Civiq; colendo amica apposuit manus

M. Georgii Michaelis.

In cathedra gaudes pulchram meruisse coronam
Pulchrior in cœlis euge ! parata Tibi.

Hoc bonum omen Amico suo gratulabundus addere voluit

M. Christianus Martinus Seelmann/
Leutsch. Hung. SS. Theol. Cultor.

Post exanthlatos duros variosq; labores
Cœlestis dabitur pulchra Corona Tibi.

Amico suo perquam dilecto paucula hacce scribebat

J. P. Heermann, Jessenâ Saxo. SS. Th. St.



IN NOMINE JESU
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE FIDELIUM MINISTRORUM
IMMARCESCIBILI CORONA.

EX I. PET. V. 4.

TEXTUS GRÆCUS

Καὶ φανερωθέντος τῷ Ἀρχιεπισκοπικῷ, κομιθεὶς τὸν ἀμάρτανον
τῆς δόξης σέφανον.

Latinus Vulgatus.

Et, cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis im-
marcescibilem gloriae coronam.

Germanica B. Lutheri Versio.

So werdet Ihr (wenn erscheinen wird der
Ertz-Hirte) die unverwelckliche Krone der
Ehren empfangen.

Exegetis.

Multa dicitur, & magna Fidelium Ministrorum,
quoad arduum officium, molestia, quia δια-
κονία vere dicitur, & est, διακονία, labor in o-
mnibus, labor cum omnibus, labor pro o-
mnibus. Ex judicio B. Magalandri, labo-
riosus est status Domesticus, longe laboriosior
status Politicus, & Publicus; sed omnium laboriosissimus est sta-
tus Ministrorum Ecclesiasticus: imò periculosus etiam status Do-
mesticus, & privatus: longe periculosior status Politicus, atque
Publicus, sed omnium periculosissimus est Ministrorum Ecclesie
status, qui propter Dei Ministeriū contra se Diabolum, & omnes po-
testates infernales, mundum, & omnis generis hostes armat, dum hi
mala cuncta contra Dei Ministros meditantur, & operantur.

2. Multa pariter, & magna fidelium Ministrorum hoc in mun-
do, quoad triste fatum, ignominia. Nam Satanas, mundi Prin-

42

ceps



ceps Job. XII. 31. modis omnibus Christi fideles Ministros persequitur, & omnibus ignominie generibus mundi mercedem eis offerre deprehenditur. Paulus non uno tantum in loco Catalogos integros injuriarum mundanarum, sibi propriarum, in Epistolis suis producit, ex quibus modo saltem unum introducimus II. Cor. XI. 23. quod fuerit in laboribus plurimis, in plagis supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter: quod à Judæis quinquies quadragenas una minus plagas acceperit: quod ter virgis casus sit, semel lapidatus, ter naufragium fecerit, nocte & die in profundo maris fuerit: in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore, & arumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate. Sed in his, & aliis, Apostolus semper extitit fortis Athleta, magnaque πληροπορία & παρρησία fortiter usus est in omnibus his tentationibus, sicut scribit ejusdem Epist. c. IV. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiāmur, in difficultates conjicimur, sed non desperamus, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed non confundimur, (hæc in latino, non in græco textu leguntur,) dejicimur, & non perimus, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris: semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Sic enim fideles Ecclesie ministri sunt boni milites Jesu Christi II. Tim. II. 3. si mascule cuncta certamina subeunt, & in virtute Domini mala cuncta fortissime vincunt.

3. Multa denique sunt, & magna fidelium Ministrorum post militiam in cælo premia, vel brabea. Nec inter hæc postrema dicitur Victoria Ministerialis corona. Nemo vero coronatur, nisi legitime certaverit II. Tim. II. 5. Tribus autem in locis N. T. simulque tribus à distinctis Apostolis, Ecclesie Ministris fidelibus Victoria Corona tribuitur, & quidem (1) per Johannem Corona Vitæ, sicut scribitur Angelo, vel Episcopo Smyrnensis Ecclesie, Apoc II. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam Vitæ. (2) per Apostolum Pau-

Paulum Corona iustitia, sicut de semetipso, tanquam *fideli Mini-*
stro, scribit II. Tim. IV. 6. 7. 8. Ego iam immolor, & tempus mea
resolutionis instat: Bonum certamen certavi, cursum consummavi,
fidem servavi: in reliquo reposita mihi CORONA JUSTITIÆ, quam
reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi,
sed & omnibus, qui diligunt adventum eius. (3) per Apostolum Pe-
trum Corona Gloria, sicut in oraculo nostro Gloria corona, sed
immarcescibilis, Ecclesiæ fidelibus Ministris promittitur.

4. In his Coronis notamus & Convenientiam, & Differenti-
am. Quoad rem dicitur Una Corona, nim. Corona Victoria, si qui-
dem in fidelibus Ministris fides est victoria I. Joh. V. 4. & qui vi-
cerit, hereditate consequetur omnia, sicut Christus Alpha &
Omega dicit Apoc. XXI. 6. 7. Ego sum Alpha, & Omega, initium &
finis: Ego sitienti dabo de fonte aqua vitæ gratis: qui vicerit, heredi-
tate consequetur omnia, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius: vice-
runt autem potissimum fideles Ecclesiæ Ministri per verbum testimo-
ni sui, sicut patet ex cœlesti cantico, vel Epinicio, post prælium
magnum Michaelis, & Draconis, Apoc. XII. 7. seqq. ubi verbis no-
tatu dignissimis Scriptor Apocalypticus Epinicion illud introdu-
cit, v. 10. Et audivi vocem magnam, in cœlo dicentem: Nunc facta
est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius,
quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos
ante conspectum Dei nostri die, ac nocte: & ipse VICERUNT eum
propter sanguinem Agni, & per testimonium Verbi sui, & non dile-
xerunt animas suas usque ad mortem: Propterea latamini cœli, &
qui habitatis in eis. Sic coronati fuerunt XXIV. Seniores in circui-
tu sedis divinæ, vere coronati, sedentes, sicut idem Johannes vi-
dit c. IV. 2. Fui in Spiritu. Et ecce sedes posita erat in cœlo, & su-
pra sedem sedens, & qui sedebat, similis erat ad spectum lapidis Ja-
spidis, & sardini: & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Sma-
ragdine: & in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thro-
nos viginti quatuor Seniores, sedentes circum, amicti stolis albis, &
in capitibus eorum coronæ aureæ (quæ victoriæ fuerunt, cum sto-
lis albis, non rubicundis, concordantes) Et cum animalia quatuor
dicerent: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus omnipotens,

erat, qui est, & qui venturus est, & darent gloriam & honorem, & gratiarum actionem, sedenti super thronum, viventi in secula seculorum; simul procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant CORONAS suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine, DEUS noster, accipere Gloriam & Honorem, & Virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt. Nam hæ Corona Victoria fuerunt simul, (1) corona victoriosa vita, quam vitam, post cruentam militiam, & victoriam, vere gloriosam, fideles Ecclesie Ministri pugnantes obtinuerunt: sunt igitur Corona Victoria viventis, & vite vincentis. (2) Corona victoriosa justitia, quæ supremo Militie Dux, atque Prefectus, Christus Jesus, Jos. V. 14. vero Isch Milchamah, seu Vir belli, Exod. xv. 3. tanquam victor Michah per sanguinem Agni victoriosum obtinuit, & distribuit, ut vere dicantur Corona Victiosa justitia, vel justificantis Victoria (3) Corona victoriosa gloria, quia Rex omnis Gloria Psal. XXIV. 8. 10. pariter hanc Gloriam, juxta Petrum, Presbyteris, vel Senioribus, aut ritè certantibus Ministris comparavit, & coronis Gloria victoriosa, vel Victoria gloriosa, tanquam reges caelestes, apoc. I. 6. eos in caelesti Regno coronavit.

5. Licet autem, quoad rem, converiant hæ Corona, tamen multis respectibus etiam differunt (1) ratione Nominis, quia nomina sunt distincta, Corona vita, Corona justitia, Corona Gloria. (2) ratione Ordinis, quia Corona Vita prima, Corona justitiæ secunda, Corona gloria tertia: quæ tres coronæ longe rectius in cælo fideles Ecclesie Ministros exornant, quam tergemina Corona Pontificem Romanum his in terris ornat. (3) ratione gradationis, quia corona Vita statum felicitatis incipit, corona justitia excolit, corona gloria perficit. [4] ratione relationis, quia corona vita corda vite caelesti reficit, corona justitia corpora beatorum respicit, dum albis justitiæ, vel innocentie, solis amicti semper conspiciuntur. (5) ratione præsuppositionis, quia corona vita præsupponitur à justitia corona, dum ubi nulla vita, ibi nulla justitia: Corona gloria prærequirit coronam justitiæ, dum sine justitia nulla vera datur gloria Corona: sed ab utraque præsupponitur vita, cum sine vita nec detur justitia, nec detur gloria. (6) ratione

causationis, quia vita caelestis, est causa justitiae caelestis, & corona justitiae caelestis est causa gloriae caelestis. (7) ratione practica conditionis: nam in praxi tria concurrunt, Subjectum, Medium, & finis: Corona vita subjectum ornat, quod est vivum, & tale pariter esse debet: Corona justitiae medium sistit, quia per justitiam gloria quaeritur & acquiritur. Corona gloria finem imponit, dum ornat, & justitiam, instar medii, simulque vitam, instar subjecti. (8) ratione successionis, quia corona vita ponit fundamentum, cum sine vita fundamento, nec possit dari justitia, nec gloria: Corona justitiae mox addit argumentum, & ornamentum: corona gloria tandem imponit complementum. (9) ratione triplicis Christi muneris: nam corona vita promanat ex officio Prophetico, quod dat vitam per verbum regenerationis, Jacob. I. 8. conservationis Matt. IV. 4. Corona justitiae suam originem ducit ex officio sacerdotali, secundum quod Christus factus nobis est justitia, I. Cor. I. 30. adeoque nobis impetravit, & restauravit justitiae coronam: corona gloria suum ortum ducit ex officio regio, secundum quod ipse, tanquam Rex gloriae Psalms. XXIV. 8. 10. nobis donat gloriae coronas, quia quando Caput gloriae coronam portat, membra pariter gloriae coronis exornantur. (10) ratione regni triplicis, dum ex regno potentiae ducimus vitam, adeoque sic ex eodem vita corona nobis per Christum suo modo restituitur: Regnum gratiae potissimum affert justitiam, sicut quaerere jubemur Dei regnum, & justitiam ejus, Matt. IV. 33. adeoque sic ex gratiae regno nobis justitiae corona contingit: Regnum gloriae pariter gloriae coronam parit, & in reges coronatos nos constituit. Plura nunc addere nolumus, sed potius in Domino, duce Spiritu Sancto, statim ad nostrum Oraculum allegatum, & ad Immortescibile Fidelium Ministrorum Coronam, nostris meditationibus respicimus.

6. Duo vero potissimum, juxta laudatum Oraculum expediemus. I. Immortescibilis Corona gloriosum Apparatum. II. Immortescibilis Corona Gloriosum statum; ille sistitur à priori, sed hic à formali; prior καὶ ἔξω, posterior καὶ ἐσω; prior facit ad bene esse, posterior ad ipsum esse; prior affert προλεγόμενα, posterior profert ἐκλεγόμενα; prior notat circumstantias, posterior causas &c.

7. Appe-

7. *Apparatus* exhibetur nobis in verbis initialibus: *Et cum apparuerit Princeps pastorum;* quibus *geminus apparatus* introdu-
citur, *alter* materialis, respectu Ministrorum, *alter* formalis
respectu Principis Pastorum, & ejus ad actum corona-
tionis solennem *Adventum;* *prior* respicit subjectum, *po-*
sterior principium; *prior* Ministerium & Ministrum, *po-*
sterior ipsum Dominum; *prior* Pastores, *posterior* Principem Pasto-
rum; *prior* officium, *posterior* beneficium; *prior* coronandos,
posterior coronationem ipsam; *prior* requisita Ministrorum,
posterior studia Principis Pastorum; *prior* subjectivus, *poste-*
rior objectivus &c.

8. *Prior apparatus Subjectivus* notatur per copulam *ET*, quæ
satis est *emphatica*, simulque, quod *materialem suppositionem*,
variā *explicationem*, & *illustrationem* afferret, quæ tamen, hac
vice nostris meditationibus non destinabimus. Modo tan-
tum in *sensu proprio*, vel *copulativo* permanebimus, cum hoc
officium *copulandi* communiter huic particula dicatur *propriū*.
quæ ratione cernimus in hac copula variā juxta textum, *copu-*
lationem, & *quidem* (1) *Copulationem*, & *relationem*, *Ministerialium*
Pastorum, & *Principis Pastorum*, dum illi gregem pascere tenen-
tur, & *Principi Pastorum*, contra distinguuntur, dum in præ-
cedentibus agitur de Pastoribus Ministris, sed hic agitur
de *Principe Pastorum*, Christo Jesu; illi simpliciter dicuntur
ποιμένες, hic autem solus καὶ ἑξουχὴν est ἀρχιποιμὴν; illi sunt
Domestici, hic Paterfamilias, *Matt. X. 25.* (2) *Copulatio-*
nem officiorum, & *beneficiorum*, quia precedentibus ver-
sibus varia Petrus officia Ministrorum fidelium, per su-
premum Episcopum imposita, præmisit; sed quia communi-
ter officium debetur propter beneficium, & hoc illi, vel sub-
jungitur, vel etiam non raro præmittitur; ideo *Principis Pa-*
storum beneficium erga fideles, sibi subordinatos, Pastores per
copulam subjungit. (3) *Copulationem laborum* & *premiarum*; gravissi-
mi præmittuntur ministrorum fidelium labores, quales sunt rû
labores μαγροπίας, quæ tum temporis, sicut & alias sæpius apud
Ministros desinunt in *μαγροπία* sanguinis, & mortis, ut testes sint
passi-

passionum Christi v. i. propter odium infestissimum Diaboli
contra Christum, & fideles ejus, testes participes fiant passio-
num Christi, variisque martyriis, & persecutionibus affici-
untur: tum labores ποιμενολογίας, vel ποιμενοπίας, ut ita loqua-
mur, dum tales labores pastorales sunt gravissimi, quia contra
lupos infernales, homines mundanos, & proprios voluptatum impe-
tus, oves pascere debent: tum labores ἐπισκοπίας, quia non mo-
do pastores, sed etiam vigiles, & inspectores, sunt, qui curiosis-
simam Ephoriam, & vigiliam agere tenentur in ovium custo-
diam, vel prudentē χειρωγωγίαν &c. propter hos, & alios labores,
& plurimos, & maximos, convenientissimum erat, ut ipsis
præmium coronationis à Principe Pastorum contingeret. (4)
Copulationem domini vani, temporalis, & illiciti, per oppositio-
nem supremi privilegii coronationis aeternæ, quia prohibet Pe-
trus v. 3. ne sint dominantes in clericos, cum non sint magistri, sed mi-
nistri, non domini, sed potius servi &c. Hinc potius expectent in-
caelis gloria coronam immarcescibilem, ut intermissio, vel remotio do-
minationis fiat indicium futuræ coronationis, quia D. 9 super-
bis resistit, humilibus dat gratiam, ut mox v. 5. subjungit, & gra-
vissimam exhortationem annectit v. 6. Humiliamini sub potenti
manu Dei, ut vos exaltet in tempore, quia, juxta Christi nomen,
Luc XII. 14. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat,
exaltabitur (5) Copulationem typi, vel exemplaris, & totius gregis, & se-
quentis gloriae, vel honoris. Nam ministri fideles sunt pastores,
gregem præcedentes, & in via recta ducentes, tanquam typi, du-
ces, & ductores, ac exemplaria gregis, adeoque doctrina pastoris do-
ctrina gregis, vita bona pastoris debet esse vita bona gregis, suo
modo norma, seu forma, quæ ratione coronantur etiam pro gre-
ge; vel honor Pastoris honor gregis, corona Pastoris corona gregis.

9. Sic igitur Apparatus hic materialis in requisitis mini-
strorum fidelium conspicitur (1) in Apparatu Presbyteratus, sicut
Petrus totum caput incipit: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obse-
cro. Hieronymus in Epistola ad Evagrium rectè monet, Presbyterum
hoc loco, quemadmodum & in Actis Apostolicis, & in Epistolis Pau-
linis, non esse nomen aetatis sed officii, & dignitatis. Hoc Petrus ipse

B

vide

videtur intendere, dum v. seq. peculiare pascendi munus per præceptum eis imponit; & hi sunt ejusmodi Presbyteri, quos Spiritus Sanctus in gregibus posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei quam acquisivit proprio sanguine suo, Act. XX. 28. quique laborant in verbo, & Doctrina, 1. Tim. V. 17. Hæc præparatio Seniorum respicit juniores, qui sunt Auditores, sicut ipsi Doctores, & consistit in verbi prædicatione, & Sacramentorum, imprimis Baptismi administratione, qua ratione Seniores parturiunt cum Paulo juniores, ut filiolos suos, donec formetur Christus in eis Gal. IV. 19. aut, sicut Jacobus inquit, c. I. 18. Verbo veritatis generant, ut fiant primitie Creaturarum Spiritualium; vel, ut Petrus in hac Epistola C. I. 23. scribit, regenerantur fideles, non ex Semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbū Dei vivū, quod permanet in æternū.

10. (2) In apparatu Testimonialis Status, quia ministri fideles sunt Testes passionum Christi, & ejus, qua in futuro revelanda est, Glorie; siquidem Presbyteri junioribus post regenerationē sunt Testes Christi, cum primis passionum ejus, & Glorie, sicut Paulus scribit, 1. Cor. II. 1. Quod, cum venerit ad Corinthios, non venerit in sublimitate sermonis, & Sapientia, sed annuncians Testimoniū Christi, & quidem ita, ut judicaverit, se nihil quicquam inter ipsos scire, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum: sicut etiam Christus omnes Apostolos Testes Passionum, & Glorie suæ, post resurrectionem ante Gloriosam ascensionem, constituit Luc. XXIV. 4. Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine ejus penitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem TESTES estis horum, nimirum quæ concernunt passionem, & Gloriam: sicut idem repetitur Act. I. 8. Accipietis virtutem Spiritus Sancti, & eritis mihi TESTES in Hierosolyma, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimas terras Confer. Job. XIV. v. 26. 27.

11. [3] In Apparatu Pastoralis v. 2. Pascite, qui in vobis est, gregem Christi: sicut enim Petro dixerat Christus: pasce meas oves v. 15. & quod maxime notam merebatur, id trina voce repetierat v. 16. & 17. idem subjiciendo, & cum interrogatione præcedenti: Simon Jona, amas me? connectendo, quod in Petro tristitiā non vulgarem commoverat, sicut Evangelista testatur:

tur: *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: An es me? citra du-*
bium, prater alia, Jesus hac trina repetitione significare vo-
luit, tum pascendi necessitatem, tum ejus utilitatem, tum ejus
perpetuitatem, quæ multis explicari possent: memor igit-
tur Petrus horum præceptorum Christi cunctos alios Presbyte-
ros, & Doctores, ad pascendi munus invitare voluit, ex his, jam
allegatis verbis itidem ostendere (a) pascendi necessitatem,
quam per verbum imperativi notat, simulque Pastores u-
niversos, & singulos, ad pascendi munus hoc vinculo neces-
sitatis obligat. (b) pascendi perpetuitatem, dum in presenti lo-
quitur, & pascendi munus, ut semper presens, vereque per-
petuum requirere videtur, dum pastor à pascendo suum, &
nomen, & omen habet. Et notum est, quod boni pastores eo
non sint contenti, si greges suos tempore diurno constanter
ad pascua bona ducant; sed insuper etiam nocturno tempore
gregis causa vigilalant, pro gregibus contra lupos, & alias fe-
ras excubant, & nocturna pabula quoque gregibus mon-
strant, sicut de Pastoribus Bethlehemiticis refertur Luc. II. 8. (c)
pascendi utilitatem, quia pascendi munus refertur, ad Chri-
sti Gregem, qui pabulis utilissimis opus habet. Tales etiam
debent esse Spirituales animarum pastores, exemplo Pauli,
dicentis Pastoribus Ephesinis Act. XX. 31. Vigilate, memoria
retinentes, quoniam per triennium NOCTE, & DIE, non cessavi cum
lacrymis monere unumquemque vestrum: sicut propterea v. 28.
præced. reliquis Collegis præcipit: Attendite vobis, & uni-
verso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, PASCE-
RE Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine suo. Hæc
pastoralis cura dicitur optimus ad gloria coronam apparatus.

12. [4] In apparatu Ministerialis Episcopatus, inspicientes, secundum
Osiandrum, Ecclesie statum, ne quid detrimenti capiat, non coacte,
sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: Non enim
requirit tantummodo Petrus, ut Ecclesie ministri sint Pastores,
sed etiam ut sint Episcopi, vel Ephori, Superintendentes,
vel Inspectores, perpetuas vigilias, continuas excubi-
as, assiduas custodias agentes, velut in specula stan-
tes, & vigilanter totum gregem ab intra considerantes, & ab
extra lupos, ursos, & leones, incurstantes diligenter observan-
tes,

tes, ut maturius iisdem obviare, cunctamque prædam, & laniam à gregibus averruncare queant, sicut inquit *Habac.* II. 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum supermunitionem meam.* Conf. *Ezech.* III. 17. *Fili hominis, speculatorem dedi te Domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me &c.* v. 18. *Sanguinem cuiusque requiram de manu tua.* Hic fidelis Pastorum Episcopatus peculiaris etiam ad Gloria coronam apparatus.

13. (5.) In Apparatu ministerialis Dominatus, vel Reſtoratus; siquidem Petrus ait: *Neg. ut dominantes in cleris, h. e. pascite, non instar dominorum; quia sunt ministri, non Domini, siquidem unus tantum est Dominus noster Jesus Christus, ut Petrus præsupponit ex cap. 1. 3. & mox eum ut Principem, atque Dominum Pastorum Ministerialium Omnium introducit: nec instar Magnatum, atque Regum, quia Christus Petro, sicut & reliquis Apostolis, & Ministris, dixit Luc: XXII. 25. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur; Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui princeps est, sicut ministrator, vel sint instar Ministrorum.* Conf. *Matth.* XX. 25. Sed quia ministerialis dominatus in Directione gregis consistit, quæ fit sceptro verbi, vel baculo mystico; sicut enim *Johannes Baptista*, primus N. T. Minister, ex *Es.* XL. 3. ad dirigendam Ecclesiam missus erat, prout ipsemet inquit: *Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam domini: Job.* I. 23. sic etiam omnes alii ministri, & Pastores, ad ejusmodi directionem pastoralem destinati sunt, juxta *Cant: Zacharia.* Luc. I. 79. *quia visitavit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & in umbrâ mortis sedent, ad DIRIGENDOS pedes nostros in viam pacis.* Hac ratione ministeriale Directorium est apparatus ad Coronam gloria.

14. (6.) In apparatu Gregalis Prioratû, quod forma, vel Exemplar Gregis fieri debeant, & oves suas præcedere, ut viam ipsis ostendere queant, sicut ipse Christus de se Pastore *Job.* X. 4. cum bonus pastor proprias oves emiserit, ante eas vadit, & Oves illum sequuntur: quia sciunt vocem ejus. Nam Fideles Ecclesie Ministri, velut boni pastores, præcedunt oves suas (1) vera doctrina, quam ex scripturis ipsis, instar pabuli salutaris, proponunt. (2) proba vita, secundum quam in virtutibus omnis generis eos præcedere

dere tenentur, ut imitatores ipsorum fiant; Paulus scribit i. Cor. XI. 1. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et hoc est, quod Paulus & scribit *Timotheo I. Epist. IV. 12. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate:* & ad Titum hæc urget c. II. 7. *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, Conf. Philipp. III. 17. II. Thessal. III. 9.* Sicut enim alias dicitur: *quales Reges, tales cives, quales imperantes tales Parentes;* ita *quales Pastores, tales greges, quales Doctores, tales Auditores.* Et hac ratione, non quidem ex merito, sed ex Dei promisso, non ex iustitia, sed ex gratia datur hic corona gloriae peculiaris Apparatus.

15. Hic fuit *Materialis*, & certo respectu *personalis apparatus*: nunc Petrus progreditur, & *propriorem Apparatum* persequitur, nimirum *Apparatum formalem, vel causalem*, qui consistit in *Adventu Principis pastorum*, nimirum *Jesu Christi*, de quo pariter *adventu* plurima notari, vel explicari possent: sed breviores modo lineæ ducendæ, quæ de causa nihil de Natura, vel causis hujus adventus, ex Apostolicis verbis eruere, sed tantummodo certas quasdam proprietates in textu monstratas, observabimus, & paucis explicabimus.

16. *Ratione temporis* proprietates allegatur, quod sit *Adventus (1.) non præteritus*: Messias equidem sæpius tum in *Paradiso protoplastis*, tum in forma visibili *Patriarchis*, & aliis piis, tam foemellis, quam masculis, in *V. T.* præsentiam suam exhibuerat: in plenitudine temporis etiam primum solennem adventum in carnem celebraverat, tum per humanam conceptionem *Luc. I. 31. seqq.* Tum per nativitatem *cap. II. 6.* tum per baptismi susceptionem, *Matth. III. 13.* tum per verbi prædicationem *Luc. IV. 16.* tum per regalis adventus celebrationem, *Matth. XXI. 1. seqq.* sed hic omnis adventus verè præteritus erat: *Petrus* verò non loquitur in *præterito*, sed in *futuro*. (2) neque *præsens*, sicut *Apostolis* in visibiliter ubique locorum suam præsentiam, & mysticum adventum exhibebat, juxta certissimum promissum *Matth. XXIX. 20. Ego sum vobiscum ad seculi consummationem usque.* sicut. etiam juxta *Marc. XVI. 20.* ubique fuit ipsis *cooperatus*, quod itidem *Petro* contigit: imò non tantum *Apostolis*, sed etiam omnibus ipsorum *audito-*

ribus idem, quoad spiritualem adventum, accidebat. Et hoc in presenti loco vers. seq. 5 statim indicat Petrus: Deus superbis RESISTIT (in presenti) & humilibus dat gratiam: sic omnes dicitur in aeternam gloriam vocare v. 10. omnes dicuntur per, & propter adventum mysticum esse in Christo Jesu v. 14. Pax sit vobis omnibus, qui ESTIS in Christo Jesu. (3) sed futurus; nam hic adventus à reliquis adventus modis, tanquam futurus, contradistinctus, dum adventum gloriæ demum in Novissimo die celebrabit, sicut passim ipse Christus testatus est.

17. II. Ratione numeri quoque; Proprietas allegatur, quod unus, non geminus, neque multus gloriæ futurus sit adventus, quia semel tantum adveniet Christus Dominus ad iudicium, per gloriosum advenum, sicut ipse Christus sæpius testatur in historiis Evangelistarum: hac vice saltem locum ex processu iudiciali notabimus *Matth. XXV. 31 Cum a venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis sue; & congregabuntur ante eum omnes gentes &c.* Valeant ergo moderni Fanatici, qui, contra tot ipsius Christi Salvatoris vaticinia, geminum somniant adventum Christi, priorem ad Regnum aliquod his in terris, posteriorem ad ipsum gloriæ Regnum in cælis.

18. III. Ratione Verbi proprietas acritudinis allegatur, cum hoc loco certa quædam per Apostolum prævisio proponatur: So werdet ihr, inquit B. Lutherus, quod promissum etiã, tū in originali textu, κομιείδε, tum in versionibus insinuatur, & alias Dei verbum est certum, πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάντες ἀποδοῦναι ἄξιός, I. Tim. I. 16. βεβαιότερον ὁ λόγος II. Petr. I. 19. verbum promissionis, & quidem divinæ promissionis: omnes autem promissiones sunt etiam, & Amen, II. Cor. I. 20.

19 IV. Ratione modi generalis, Manifestus adventus, dicitur, dū erit ἀρχιποιμένος, Φανερωθέντος Principis Pastorum manifestandi, quæ manifestatio visibilis erit, vel ἐπιφανεία, sicut alias appellatur II. Theff. II. 8. I. Tim. VI. 14. II. Tim. I. 20. c. IV. 18. Tit. II. 23. vocatur etiã Φανέρωσις Col. III. 4. 1. Job. II. 28. III. 2 dicitur etiam ἀπεκαλύψις I. Cor. I. 7. II. Theff. I. 7. &c. Sic etiam illustratur per adjecta quædam

dam exegetica nomina, tum *subjecti*, ἐπιφάνεια τοῦ Χριστοῦ 1. Tim. VI. 14. tum *objecti* ἐπιφάνεια Ἰησοῦ παρρησίας 2. Thess II. 8. tum modi, ἐπιφάνεια τοῦ δόξης Tit. II. 13. &c. quibus omnibus gloriosus Christi saluatoris Adventus, in die novissimo, citra dubium indicatur.

20. V. Ratione modi specialis, Adventus Gloriosus indicatur, dū hoc loco dicitur Petrus, ad immarcescibile gloria coronam respectū habere, quæ dicitur ἐπιφάνεια Ἰησοῦ δόξης. Et alias ἡ δόξα notat in scriptura N. T. (1) δόξαν divinam, quia Deus dicitur ὁ θεὸς Ἰησοῦ δόξης Act. VII. 2. (2) δόξαν S. S. Trinitatis Rom. XI. 36. (3) δόξαν Patris in oratione Dominica Matth. VI. 12. (4) δόξαν Christi, tam in his terris Luc. II. v. 9. & 14. quam in cælis, partim quoad *prefigurationis typum*, Luc. IX. 36. ubi Christus, & in Gloria visus est, & Moses, ac Elias, pariter in ejus Gloria comparuerunt; partim quoad *apparatum gloriae caelestis* in novissimo die, quando hominū iudex comparebit in gloria, Matth. XXV. 31. &c. partim quoad *plenum gloriae caelestis statum*, sicuti in Apocalypsi sæpius gloria Christo tribuitur. Plures acceptiones hic adscribere nolumus. Hæc gloria capitis, gloria quoque corporis, & gloria cujuslibet partis. Et sic Christus faciet *Electos & fideles ministros Reges*, Apoc. I. 6. eos ut Reges exaltabit, eos ut Reges in thronum collocabit, & ut Reges gloria, vel coronis gloriae coronabit.

21. VI. Ratione termini singularis erit *postremus*, vel *Novissimus adventus*, (1) *ratione Christi*, quia tunc omnium novissime dicitur in nubibus appariturus Matth. XXIV. 30. (2) *ratione mundi*, quia talis adventus continget in fine mundi, quando nimirum Deus cælum & terram, & omnes creaturas, exceptis Angelis, & hominibus, ad extremum iudicium appariturus dicitur. (3) *ratione adjuncti*, nimirum diei, quia talis apparitio, vel adventus, in die novissimo continget, qui propterea dicitur ἡ ἐσχάτη ἡμέρα Job. XI. 24. XII. 48. quando videlicet Jesus Christus ἐν ἐσχάτῃ σαλπύγγι venturus est, 1. Cor. XV. 52. [4] *ratione scopi*, quia Christus hunc adventum propter *novissima celebraturus est*, nimirum *tum* propter novissimum universalis mortuorum resurrectionis, *tum* propter novissimum universalis vivorum immutationis, *tum* propter novissimum iudicii Catholici, vel universalis administrationis; *tum* propter novis-

novissimū Universalis mundi Consummationis; tum propter
novissimum æternæ reprobatorum condemnationis; tum pro-
pter novissimum æternæ piorum glorificationis.

22. Hactenus in Oraculo noster vidimus *Apparatum*,
nunc ad *Immarcescibilis Coronæ Starum* progredimur, qui neq;
planius, neque plenius, neque facilius, quam per *Causas* decla-
rari potest, cum primis dum *Petrus* in brevissimis oraculi ver-
bis omnes causas adducit, ita quidem ut singula verba sin-
gula causarum pondera præ se ferant, adeoque quot voculae,
tot etiam causæ comparent. (I.) *Efficiens causa*, dicitur *Princeps*
pastorum (II.) *Causa materialis* notat ipsam gloriæ Coronam.
(III.) *Causa Formalis* consistit in reportatione. IV *Causa Finalis*,
quoad finem *Cui*, cum dicantur hoc loco fideles Ecclesiæ
Pastores gloriæ coronam accepturi.

23. *Efficientem Causam* quod attinet, *Princeps pastorum*,
vel uno titulo, juxta textum *Authenticum*, Ἀρχιεπισκοπῆς ἑκτοῦ hu-
jus gloriôsæ Coronæ producitur. Hic autem *Princeps pastorum*
non est alius, quam *Christus Jesus*, *Salvator noster*. Hic dicitur,
& est (I) *Verus Princeps* (a) quia *Princeps Regum terra*, Apoc. I.
5. (b) *Princeps militiæ Jehovæ* Joh. V. 14. (c) *Princeps pacis* Esa. IX.
6. (d) *Princeps David*, quia *Messias* vocatur *servus Jehovæ*
David, *Princeps* in medio gregis ovium Ezech. XXXIV. 24.
(e) *Princeps Sanctuarii*, vel *Templi*, cap. XLIV. 2. *Porta hæc clau-*
sa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam domi-
nus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa Principi. V. 3. Prin-
ceps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, per viam
porta vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur, (f) Princeps
sacrificii, quod *Christus* per semetipsum Patri tulit, (g) *magnus*
Princeps Michael, Don. XII. 1. (h) *Princeps, vel Autor vitæ* Act. III. 15.
(i) *Princeps, vel author salutis*, ἀρχηγός τῆς σωτηρίας. [κ] *Princeps*,
author fidei, ὁ ἀρχηγός τῆς πίστεως Hebr. XII. 2. &c.

24. (2) *Verus Pastor*, quia *Messias* dicitur (a) *Pastor Jehovæ*
Psal. XXIII. 1. Jehovæ Pastor meus, nihil mihi deerit. (b) Pastor Je-
hovæ Ezech. XXXIV. 23. *Ego suscitabo super eos Pastorem. (c) Pastor*
unus: suscitabo Pastorem Unum, ibid. (d) Pastor David, ibid sus-
citabo

citabo super eas Pastorem unum, servum meum David (ut Myfticum
Messiam) (e) Pastor Princeps vel hic apud Petrum, Princeps Pa-
storum v. 24. Ego Dominus ero eis in Deum, & servus meus David
Princeps in medio eorum: Ego Dominus locutus sum. (f) Pastor pro-
ximus Jehova, Zach. XIII. 7. (g) Pastor percussus. Conf. Matth. XXVI,
31. Marc. XIV, 27. (h) Pastor bonus, qui dat vitam pro suis ovibus
Job. X, II. Ego sum Pastor bonus: Bonus autem Pastor animam suam
dat pro ovibus (i) Pastor magnus, Hebr. XII. 20. Deus pacis, qui eduxit
de mortuis Pastorem Magnum ovium in sanguine Testamento eterni,
Dominum nostrum Jesum. (k) Pastor, & Episcopus animarum nostra-
rum 1. Petr. II, 25. (l) h. l. ἀρχιποιμῆν, Princeps Pastorum, vel Pastor
Principalis, aut Principatus.

24. (3) Princeps Pastorum, vel græcis ἀρχιποιμῆν. Pastor κατ'
ἔξοχην, eminenter, vel eminentissimus Pastor, Pastor Principaliter,
quo pacto multis respectibus sic appellatur, (1) ob Principale
Pastoratus Consilium, quia Salvator noster, tanquam Patris in-
timus Consiliarius, Es. IX, 6. & substantialis Patris sapientia, Prov.
IX, 1. Pastorale Consilium ad salutem hominum ab æterno de-
dit. (2) Ob Principale Pastoratus decretum: nam quod æterna
mente consilium dedit, illud etiam æterna voluntate firmi-
ter decrevit, atque stabilivit. Quod enim in tempore fecit,
illud ab æterno sapientissime decrevit. (3) Ob Principale Pastro-
ratus officium, dum ipse Principalis hominum, tanquam ovi-
um spiritualium, Pastor factus est. (4) Ob Principale Pastoratus
subsidium, dum omnis generis Pastoralia subsidia sollicita cura
suppeditavit Ezech. XXXIV, II. Hæc dicit Dominus Deus,
Pastor David v. 13. Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas &c.
v. 14. in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel
erunt aule earum, ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis
pingvibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, &
ego eas accumbere faciam, dicit Dominus: v. 16. quod perierat, re-
quiram, & quod errans erat, reducam, & quod contractum fuerat, al-
ligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue, &
fort, ce custodiam, & pascam illas, in iudicio. Conf. cap. XXXVII, 24.
(5) Ob Principale Pastoratus meritum, quia non tantum pascere,
sed

sed etiam vitam ovibus acquirere, vel etiam vitam suam pro eis
 ponere contendit Job. X, 11. & proprio sanguine tales acquisivit,
 vel redemit Act. XX, 28. sanguine nimirum testamenti Hebr. XIII,
 20. adeoque vitam iis comparavit, eamque verè conservavit,
 & adhuc conservat, & ab omnibus hostilibus incursionibus
 tuetur. (6) Ob Principale Pastoratus exercitium, quia non est
 mercenarius, sed ut proprias oves acquisivit, ut proprias oves du-
 cit, ut proprias oves pascit, ut proprias oves educit, & reducit, ut
 proprias oves custodit &c. Job. X, 3. 4. & seqq. (7) Ob Principale
 Pastoratus beneficium, quia cunctæ Spirituales oves per eum in-
 grediuntur, & egrediuntur, & pascua inveniunt, v. g. per hunc Pa-
 storem vitam oves habent, & corporalem, & spiritualem, & aeternalem,
 & omnem vel abundantiam, vel sufficientiam, das Leben und alle
 les Gnügen / τὸ περισσόν v. 10. (8) Ob Principale Pastoratus mi-
 nisterium, vel imperium, quia, tanquam Ἀρχιεπίσκοπος, omnes alios
 ministeriales Pastores mittit, & emittit, simul ipsum ostium eis
 ponit, quibus ostiarius aperiat, ut oves vocem eorum audiant,
 easque nominaliter vocent, & educant, & ante oves emissas va-
 dant, & oves illos sequantur, quia sciunt vocem eorum v. 3. 4.
 sic enim inquit v. g. Ego sum ostium ovium, quot quot ante me ve-
 nerunt, fures & latrones fuerunt; sed non audiverunt eos oves: Ego
 sum ostium, per me si quis introjerit, salvabitur: & ingredietur, &
 egredietur, & pascua inveniet. [9] Ob Principale Pastoratus prest-
 dium, quia semper est Pastor vigil, & custos Israelis, Psal. CXXI,
 3. 4. ubi David bis hoc inculcat; Non dormitabit, qui custodit te:
 Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel: Sic ergo
 Praefes iste perpetuus est, vigil atque custos. (10) Ob Principale
 Pastoratus privilegium, quæ privilegia tot ac tanta sunt, ut ne-
 que numerari, nec aestimari queant. Confer. Psalm. XXIII, 1.
 seqq. XXC, 1. seq. Ezech. dd. II.

25. Causam materiale exhibet immarcescibilis gloria corona,
 quæ certe plurima non tantum, sed etiam maxima mysteria,
 notatu dignissima nobis offerret, si modo justam Commentatio-
 nem de hac corona conscribere possemus. Hac vice brevi-
 tatis causa tantummodo notabimus, (1) Corona Quid sit atque

(2) Cæ-

(2) *Corona Quantitatem*, (3) *Corona Qualitatem*, prout *Emphatica Spiritus Sancti verba*, quorum unum quodlibet maxime ponderosum, luculenter ostendunt.

26. *Quidditas Coronae demonstratur ipsa Coronae voce*, quia nomina sunt rerum *signa, symbola, vehicula, vel involucria*, & dici requirit inesse: dum nomen est *materiale*, res significata nomine *formale* dicitur. De Coronis integri libri passim conscripti prostant. *Varia dici possent de Coronarum ortu, de vario statu, de vario usu &c.* Dantur *Corona in statu Ecclesiastico*, dantur in *Politico*, dantur in *Oeconomico*: Dantur *Corona tum in Regno potentia*, tum in *Regno Gratiae*, tum in *Regno Gloriae*: Dantur *Corona, ratione materiae*, maxime distinctae, tum *aureae*, tum *argenteae*, tum *cupreae*, tum *stannae*, vel *aliis metallis*: Dantur etiam *ex alia quavis materia*: Dantur *Corona proprie sic dictae*, quae sunt *operimenta, vel ornamenta capitis*, dantur etiam *improprie acceptae*, quales sunt *coronae anni*, Psal. XV, 12. *Corona domus seu viri*, sicut *mulier diligens dicitur corona viri sui*, Prov. XII, 14. *Corona Sapientum*, Cap. XIV, 14. *Corona sapientum divitiae ejus*: *Corona senectutis*, Cap. XVI, 30. *Corona dignitatis sanctitatis, quae in viis iustitiae reperitur*, *Corona senum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum* cap. XVII, 6. &c.

27. Hoc loco pulcherrimas, & consolatione plenissimas meditationes respicere, vel introducere possemus, siquidem fidelibus *Ecclesiae Ministris* hic tribuere possemus *coronas variis respectibus*: Tales sunt. (1) *Corona nativae*, quia sunt ex Deo nati, Job. I, 13. 1. Job. III, 8. tanquam *filiis Dei*, vereque *coronis destinati*, vel ad *coronas nati*. (2) *Corona vitae*, Apoc. II, 10. dum in Christo sunt *vita donati*, non tam ad vitam *naturalem*, quam ad vitam *spiritualem*, ut *spirituales reges*, Apoc. I, 6. ad vitam *caelestem*, quam *Christus I. d. potissimum respicit*. (3) *Corona gratiae*, quia Deus *gratia sua ministros constantes instar sancti coronat*. Ps. V. ult. (4) *Corona iustitiae*, quae vere per Christum ornantur, dum ipse *factus illis iustitia*, 1. Cor. I, 30. (5) *Corona gloriae*, quae per Apostolum Petrum illis assignantur. (2) Non ad *coronas metallicas*, ex *auro vel argento, vel alio metallo confectas*, quae singulae *caduca* sunt,

sunt, & variis mutationibus obnoxia. (3) Nec ad ligneas, vel lapideas, &c. sicut Christus in passione spineam coronam gerere necessarium habuit, de cuius reservatione mira finguntur à Papistis: Sed verè sunt figmenta, non historicae veritatis documenta. (4) Sed potius ad coronas de regno vegetabili contextas, sicut ex lauro, quercu, vel aliis arboribus, item ex floribus & aliis vegetabilibus, corone sunt olim ad varios usus colligatae, siquidem in his marcor locum habet, dum alia vegetabilia citius, alia tardius flaccescunt & marcescunt. Hæc proinde corona (5) dicitur prorsus immarcescibilis, tum propter Paradisum eternitatis, quia corone tales inveniuntur, non in paradiso terrestri, nec in Paradiso spirituali, sed in cœlesti, ubi datur perpetuus vigor & viror: tum propter Regnum æternum, quod Christus post mundi Regnum dicitur inchoaturus, qui lapide, comminente cuncta regna, fuit insinuatus Dan. II, 35. de quo dicit Propheeta v. 44. In diebus Regnorum illorum suscitabit DEUS cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; & regnum ejus alteri populo non eradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc; & ipsum (nimirum cum regni coronat) stabit in æternum; tum propter vitam æternam, in qua vivent Martyres, & constantes Bellatores: tum propter pacem æternam, in qua vivent milia Christi consortes; tum propter gloriam æternam, cujus participes erunt fidei Ministri Domini: qualis autem gloria, talis etiam glorie corona; Immarcescibilis gloria, parit immarcescibilem glorie coronam.

28. Quantitas hic quoque Corona tribuitur, non eadem ratione Magnitudinis, vel extensionis, nec ratione celsitudinis, sicut passim in historiis, tum magne, tum excelsæ corone notantur, & allegantur; neque ratione ponderis, aut gravitatis, cujus generis etiam variæ nominari possent: Regis Ammonitarum Coronam quæ post expugnationem Metropoleos Rabbath capiti Davidis imposita, ratione ponderis auri & alentum, & preciosissimas gemmas habuit, II. Sam. XII, 30. neque ratione numeri, sicut Pontifex de quibus Coronis gloriatur, & alii Reges variorum regnorum coronas simul gesserunt, sicut nostris temporibus & Imperator, & Rex Romanus

Romanus, & Coronam Germanorum, & Hungarorum, & Bohemorum, gerunt, atque possident; Sed ratione durationis, quia de causa dicitur *ἀμάρτυρον & σέφανον*, immarcescibilis Corona, quia ratione respectus habetur, (1) non ad terrestres, sed ad coelestes: terrestres enim coronae corruptibiles sunt, & transitoriae, sicut patet ex coronis Monarcharum Assyrio-Chaldaicorum, Medo-Perficorum, Graeco-Macedonicorum, & Romano-Germanicorum, ut alios innumeros Reges, & eorum coronas taceamus.

29. Qualitas denique Corona per nomen Gloriam indicatur, dum Gloriam corona promittitur: Est igitur hoc Axioma Ministrorum fidelium Gloriam corona, tum Efficienter, quia partim dependet à DEO gloria, Psal. XXIX, 3. partim à Spiritu gloria, 1. Petr. IV, 14. partim quia DEUS movetur per gloriam gratiae suae, vel per gratiam gloriae suae, Ephes. I, 6. ut fidelibus Ministris hanc gloriae coronam conferat: partim quia Christus nobis merito Sanguinis eas acquisivit, dum lavit nos à peccatis in sanguine suo, & fecit nos Reges & Sacerdotes, Deo & Patri suo, cui gloria, & imperium, in secula seculorum Amen, Apoc. I, 6. tum materialiter, quia meritis gloriae donis, atque bonis, haec gloriae corona constituitur, & absolvetur, dum beati caelites in meritis gloriae beneficiis, & privilegiis, versantur, meritis gloriae nutrimentis conservantur, meritis gloriae documentis & ornamentis, tum exornantur, tum coronantur: Nam DEUS gloria dicitur in omnibus omnia, 1. Cor. XV, 28. tum formaliter, quia secundum Apocalypsin cap. IV, 4. viginti quatuor Seniores, sedentes super Thronos, conspiciuntur circumcincti stolis albis, & in capitibus eorum aurea corona, quas & in gloriam Christi, sedentis in Throno, gerebant, & in gloriam ejusdem, de capitibus suis easdem deponebant, v. 10. dum viginti quatuor Seniores procidebant ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant CORONAS suas ante Thronum, dicentes v. 11. Dignus es Domine, accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia Tu creasti omnia, & per voluntatem Tuam sunt, & creata sunt: tum finaliter, siquidem gloria coronas gerunt, partim ut sint Reges regni gloriae, Apoc. I, 6. partim ut sint Patris caelestis Filii, heredes DEI, coheredes autem Christi, Rom. II, 17. partim ut sint

Fratres, & membra Christi, Reges & Gratia, sub Rege Gratia, Reges justitia sub Rege Justitia, vel etiam vice versa; item Reges ex dono, sub Rege ex merito, Reges jure communicato, sub Rege ex jure proprio, Apoc. XIV, 14. Vidit Johannes, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem FILIUM Hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Nam hic Rex Glorie non tantum viginti quatuor Seniores, sed etiam Martyres, & alios Athletas, fortes victores ejusmodi Glorie corona exornare, vel in Reges coronare dicitur.

30. Intelligit autem Apostolus *glorie coronam* (1) immediate, seu formaliter, ipsam vitam aeternam, quæ nec major, nec melior esse potest *dignitas*; nec major, nec melior esse potest *jucunditas*; nec major, nec melior esse potest *felicitas*; nec major, nec melior esse potest *utilitas*; nec major, nec melior esse potest *ubertas*. (2) Mediate verò, seu consequenter non excludit ipsos *gradus glorie*, qui citra dubiū, juxta scripturā, in futura vita locum habebunt, Matth. XIII, 43; 1. Cor. XV. 41. & alibi: non equidē ex merito, sed ex DEI dono, non ex propria *justitia*, sed ex DEI *gratia*. ESTIUS equidem ad v. 4. notat: *Cum corona sit premium ac merces Victoria, consequenter argumenta à relictis, hominem pugnantem ac vincentem, mereri gloriam Regni caelestis, ac proinde falli vehementer eos, qui merita bonorum operum negant. Merita dico, quæ tamen ipsa DEI dona sunt.* Verum (1) à premio non licet ad meritum argumentari, cum multa dentur premia gratuita, non demerita, paterna non despotica, filialia non servilia, secundum gratiam & favorem, non secundum justitiam & laborem: hinc ipse Paulus Rom. IV, 1. inter mercedem secundum carnem, & secundum Spiritum, v. 2. inter mercedem ex operibus, & ex promissionibus, inter mercedem legalem & Evangelicam, v. 3. inter mercedem fidei & facti, inter mercedem imputationis & operationis, v. 4. inter mercedem secundum gratiam, & secundum debitum, inter mercedem debitam & indebitam, illa cum opere, hæc sine opere, &c. Fallit igitur, & multis modis fallitur ESTIUS: Merita propriè loquendo non sunt dona, nec dona sunt merita.

31. Posterius quod ad laureolas vel aureolas attinet, eas Salmeron ad h. l. colligere, fidelibusq; Ministris tribuere conatur, scribens: *Immarscibilis gloriae corona, inquit, plus est, quam vita aeterna, quia significat certum celsiorem gradum aeternae vitae praeter ceteris.* Quare postquam Daniel dixerat, multos resurrecturos, alios in vitam aeternam, alios in opprobrium sempiternum; addit aliquid peculiare de Doctoribus. Quia docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, &c. Sed talis aureola, vel laureola simpliciter, & immediate per Apostolum hic minimè significatur: (1) Quia Petrus simpliciter loquitur, quando gloria coronam introducit, atq; Presbyteris promittit: (2) Quia tibi corona gloria cunctis sine discrimine, vel exceptione promittitur: iam autem gloria gradus non dicuntur omnibus convenire. (3) Quia, juxta nonnullos, Gloria corona dicitur, ut abstractum pro concreto, corona gloria pro corona gloriosi ponitur, quae certe cunctis Electis erit communis, dum omnes erunt Reges gloria, vel caelestis gloria, Apoc. I, 6. Filii caelestis Patris, tanquam Regis caelorum, Haeredes Regni, cohaeredes Christi, Rom. IIX, 15. (4) quia B. Calovius in Bibl. Illustr. ad h. l. scribit: *Per Coronam gloriae non designatur aureola vel laureola Pastorum fidelium, vel celsior gradus aeternae vitae praeter ceteris, ut Hugo, Thomas Anglicus & Salmeron, volunt; sed ipsa aeterna vita; Quo de Estius: Hesselius vult coronam valde gloriosam. Non enim simpliciter inquit vitam aeternam significat, sed altiore praeter ceteris gradum.* Unde Dan. XII. cum dictum esset, bonos ituros in vitam aeternam, de eminentiori Pastorum premio, sequitur. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates?* Hanc coronam, sunt qui aureolam interpretantur, quae Doctoribus attribuitur, ut Hugo, Cardin. & Thomas Anglicus. Sed probabilius est principale praemium intelligi, quod & alibi coronae nomine significari solet ut Jacob. I, 12. (4) Huc etiam referri potest emphaticus loquendi modus, dum Apostolus pollicetur $\tau\omicron\nu\ \alpha\mu\alpha\rho\alpha\lambda\iota\nu\omicron\nu\ \tau\eta\varsigma\ \delta\omicron\zeta\eta\varsigma\ \sigma\acute{\epsilon}\phi\alpha\gamma\omicron\nu,$ ubi $\tau\omicron\ \tau\eta\varsigma\ \delta\omicron\zeta\eta\varsigma$ in medio ponitur, & cor, vel centrum, seu formale, $\tau\eta\ \sigma\epsilon\phi\alpha\gamma\omicron\nu$ constituitur, adeoq; $\tau\omicron\nu\ \sigma\acute{\epsilon}\phi\alpha\gamma\omicron\nu$ restringit, & determinat,

ad

ad coronam regni gloria, caelestis gloria, distingvens eam à Coronis mundi, vel civilis gloria; sicut eandem loquendi rationem de corona vita, & justitiae Spiritus S. adhibet, quod Christus det τὸν στέφανον Ἰησὺς δόξης cum articulo gemino, Apoc. II, 10. Sicut & ὁ Ἰησὺς δικαιοσύνης στέφανος, II. Tim. IV, 8. notatur, quæ non ab alio, quam à Christo paratur.

32. *Causa Formalis* indicatur per verbum κομῆσαι, referentis, reportabitis. Vulg. percipietis, vel sicut Mercatores & Ufuratores à nummariis lucrum reportant, Matth. XXV, 17. vel sicut quilibet etiam secundum opera sua præmium percipit, & reportat, II. Cor. V, 10. imprimis secundum opera bona, Eph. VI, 8. vid. magnam remunerationem, Heb. X, 36. ipsam videlicet salutem, seu vitam æternam, tanquam finem fidei, I. Petr. I, 9. Notandum autem, quod hæc reportatio formaliter à priori respiciat dantem gloria coronam, qui non est alius, quam Rex Gloria, Psal. XXIV, 8. 10. CHRISTUS JESUS, Ἀρχιεπίσκοπος, & Princeps Pastorum: à formali, manus Spirituales est Fides, cum qua Verbum hoc Hebr. X, 36. & I. Petr. I, 9. conjungitur, cum sit manus spiritualis, quæ mediante corona gloria convenienter à Dante, velut superiori Domino, suscipitur; à posteriori, gloriam omnem in debitis subjectis operatur.

33. *Causa finalis* alias est Cui, vel cuius; h. l. potissimum ad Finem Cui respectus habetur, dum hæc gloria Corona Presbyteris, seu fidelibus Ecclesiæ Pastoribus, destinatur. Hoc tamen exclusivè neutiqvam est accipiendum, cum etiam Electi reliqui sint Reges cælorum, & gloria, quæ ratione sic etiam valebit istud: Qvales Pastores tales etiam Greges, & vice versa. Nos Principi Pastorum in ara gratitudinis ex toto pectore sacrificia cordis offerimus, quod talem, & tantam, fidelibus Ecclesiæ Ministris Gloria coronam pararit, & re-

servare: Hic sit & nunc, & olim, Benedic-
tus in secula seculorum,
Amen.



Umg. VI-61

ULB Halle

3


004 113 25X



IA 70L

Umg. VI 61





14

2. D. B. V.
Ἀμαράντινον τῆς δόξης σέφανον;
five

CORONAM GLORIÆ IMMAR- CESCIBLEM,

ex l. Pet. V. v. 4.

Favente Divini Numinis Clementia, SUB PRÆSIDIO

V I R I

Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, atque Excellentissimi,

DN. JOH. DEUSTCHMANNI,

SS. Theol. Doct. Consummatissimi, ejusdemque Prof. P.

Prim. inque toto Orbe docto undiqvaq; famigeratissimi, hujusq;

Facult. Senioris Venerandi, ac Templi, quod ad Arcem est,

Præpositi dignissimi, Alumnorum Electoralium Ephori

Gravissimi, deque Univerfa Ecclesia Christi longè

meritissimi, ut & p. t. DECANI Ord. Theol.

Spectabilissimi,

Domini, Patroni, Præceptoris, ac Studiorum Suorum Promotoris,

filiatis, quò par est, observantia & amoris cultu, ad cineres usque

Sanctissimè colendi, venerandi,

In Inclÿta ad Albim Leucorea, ex Cathedra B. Lutheri,

proponet

M. GEORGIUS Grandfuerter

Cremnicio-Hung. SS. Theol. Cultor.

Anno ab reparata humani Generis Salute 1694. Die Octobr.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Hakii

h. 10. 3912

